

mus; Junium scilicet Brutum, Consulem, a Liſtoribus filios virgis cæſos voluiſſe, ſecurique percuſſos. Liv. 1. 2. 20. *Conſules in ſedem proceſſere ſuam; miſſique Liſtores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt, ſecurique feriunt.* Filii autem Conſulis Junii Bruti peregrini non erant, ſed cives; non ſervi, ſed liberi: & nihilominus non virgis tantum, ſed ſecuri etiam fuit in eoſdem animadverſum. Inſuper Manlium Conſulem filio victori mortem ad palum a Liſtore inferri juſſit; quam ſubiit animo æque forti, ac victoriam de hoſte reportaverat. Liv. 1. 8. 7. *1 Liſtor, deliga ad palum. Exanimati omnes tam atroci imperio; nec aliter, quam in ſe quiſque diſtinctam cernentes ſecurim, metu magis, quam modeſtia, quievere. Itaque velut emerſo ab admiratione animo, cum ſilentio deſixi ſtetiſſent: repente, poſtquam cervice cæſa fuſus eſt cruor, tum libero conqueſtu coortæ voces ſunt, ut neque lamentis, neque execrationibus parceretur.*

At pro Patifco, ejuſque judicio tuendo, ad mortis genus recurrendum eſt. Scilicet a Liſtoribus Romanos cives fuiſſe virgis, & ſecuri, Majorum more, percuſſos; ut fuerunt Junii Bruti filii, Manlius, & Fabius, M. Fabii filius, L. Papyrio Dictatore jubente, apud Livium dec. 1. lib. 8. A Carnificibus vero ſervos, peregrinos, illoſque, qui cives non erant, cruci fuiſſe affixos, gula fractos, ſtrangulatos, &c.

Hæc contigiſſe putamus priſcis illis temporibus, quibus, ut diximus, Liſtores ex Romano populo, vel ex plebe, aut ingenui, aut liberti deſumebantur. Subſequenti poſtmodum ævo ex captivis in bello etiam deſumpti ſunt, & ex gentibus in acie victis; unde cognominari cœperunt, vel ex provinciis ſubactis, vel ex victoribus ducibus. Liſtores proinde dictos legimus

Rho-